Scylla deum, furit ille, irritatusq; repulsa
Prodigiosa petit Titanidos atria Circes.

P. OVI. NASO. METAMORPHOSEON LIB. XIIII.

AMQVE giganteis iniectam faucibus Aetnam,
Aruaq; Cyclopum, quid rastra, quid vsus aratri
Nescia, nec quicquam iunctis debentia bobus,
Liquerat Euboicus tumidarum cultor aquarum
Liquerat & Zanclen, aduersaq; mœnia Rhegi, 5
Nauifragũq; fretum, gemino quod littore pressum
Ausoniæ, siculæq; tenet confinia terræ.
Inde manu magna tyrrhena per æquora vectus,
Herbiferos adiit colles, atq; atria Glaucus
Sole satæ Circes variarum plena ferarum. 10
Quam simul aspexit dicta, acceptaq; salute,
Diua dei miserere, precor, nam sola leuare
Tu potes hũc dixit (videar modo dignus) amorẽ.
Quanta sit herbarum Titani potentia nulli
Quam mihi cognitius, qui sum mutatus ab illis. 15
Neve mei non nota tibi sit causa furoris,
Littore in Italico Messenia mœnia contra
Scylla mihi visa est, pudor est promissa, precesq;
Blanditiasq; meas, contemptaq; verba referre.
At tu siue aliquod regnũ est in carmine, carmen 20
Ore moue sacro, siue expugnatior herba est,
Vtere tentatis operosæ viribus herbæ,

Nec medeare mihi, ſanesq; hæc vulnera mando,
Fineq; nil opus eſt, partem ferat illa caloris.
At Circe, neq; enim flammis habet aptius vlla
Talibus ingenium, ſeu cauſa eſt huius in ipſa,
Seu Venus indicio facit hoc offenſa p aterno,
Talia verba refert, melius ſequere volentem,
Optantemq; eadem, parilicq; cupidine captam.
Dignus eras vltro, poteras certeq; rogari,
Et ſi ſpem dederis, mihi crede, rogaberis vltro.
Ne dubites, adſitq; tuæ fiducia formæ,
En ego cum dea ſim, nitidi cum filia Solis,
Carmine cũ tantum, quantũ quoq; gramine poſſim
Vt tua ſim, voueo, ſpernentem ſperne, ſequenti
Redde vices, vnoq; duas vlciſcere facto.
Talia tentanti, prius inquit in æquore frondes,
Glaucus, & in ſummis naſcentur montibus algæ,
Soſpite quam Scylla noſtri mutentur amores.
Indignata dea eſt, & lædere quatenus ipſum
Non poterat, nec vellet amans, iraſcitur illi,
Quæ ſibi prælata eſt, Veneriſq; offenſa repulſa,
Protinus horrendis infamia pabula ſuccis
Conterit, & tritis hecateia carmina miſcet.
Cœrulaq; induitur velamina, perq; ferarum
Agmen adulantum media procedit ab aula,
Oppoſitumq; petens contra Zancleia ſaxa
Rhegion ingreditur, feruentesq; æſtibus vndas.
In quibus, vt ſolida ponit veſtigia terra,
Sũmaq; decurrit pedibus ſuper æquora ſiccis,
Paruus erat gurges curuos ſinuatus in arcus,
Grata quies Scyllæ, quo ſe referebat ab æſtu
Et maris, & cœli, medio cum plurimus orbe

Sol erat, & minimas a vertice fecerat vmbras.
Hunc dea præuitiat, portentificisq; venenis 55
Inquinat, hic pressos latices radice nocenti
Spargit, & obscurũ verborũ ambage nouorum
Ter nouies carmen magico demurmurat ore.
Scylla venit, mediaq; tenus descenderat aluo.
Cum sua fœdari latrantibus inguina monstris 60
Aspicit, ac primo non credens corporis illas
Esse sui partes, refugitq;, abigitq;, timetq;
Ora proterua canũ, sed quos fugit, attrahit vna,
Et corpus quærens femorũ, crurumq;, pedumq;
Cerbereos rictus pro partibus inuenit illis. 65
Statq; canum rabies, subiectaq; terga ferarum
Inguinibus truncis, vteroq; extante coercet.
Fleuit amans Glaucus, nimiumq; hostiliter vsæ
Viribus herbarum fugit connubia Circes.
Scylla loco mansit, cumq; est data copia primum 70
In Circes odium, sociis spoliauit Vlyssem.
Mox eadem Teucras fuerat mersura carinas,
Ni prius in scopulũ, qui nũc quoq; saxeus extat,
Transformata foret, scopulũ quoq; nauita vitat.
Hunc vbi Troianæ remis, auidamq; charybdim 75
Euicere rates, cum iam prope littus adessent
Ausonium, libycas vento referuntur ad oras.
Excipit Aenean illic animoq;, domoq;
Non bene dissidium Phrygij latura mariti
Sidonis, inq; pyra sacri sub imagine facta 80
Incubuit ferro, deceptaq; decipit omnes
Rursus arenosæ fugiens noua mœnia terræ
Ad sedes Erycis, fidumq; relatus Acesten,
Sacrificat, tumulumq; sui genitoris honorat.

85 Quasq; rates Iris Iunonia pene cremarat,
Soluit, & Hippotadæ regnum, terrasq; calentes
Sulfure fumantes, Acheloidumq; relinquit
Sirenum scopulos, orbataq; præside pinus
Inarimen, Prochytenq; legit, sterilisq; locatas
90 Colle Pythecusas habitantum nomine dictas.
Quippe deum genitor fraudẽ, & periuria quondã
Cercopum exosus, gentisq; admissa dolosæ
In deforme viros animal mutauit, vt iidem
Dissimiles homini possent, similesq; videri.
95 Membraq; contraxit, naresq; a fronte remissas
Contudit, & rugis perarauit anilibus ora,
Totaq; velatos flauenti corpora villo
Misit in has sedes, nec non prius abstulit vsum
Verborum, & natæ dira in periuria linguæ.
100 Posse queri tantum rauco stridore reliquit.
Has vbi præteriit, & Parthenopeia dextra
Mœnia deseruit, leua de parte canori
Aeolidæ tumulũ, & loca fœta palustribus vndis,
Littora Cumarum, viuacisq; antra Sibyllæ
105 Intrat, & vt manes adeat per auerna paternos
Orat, at illa diu vultum tellure moratum
Erexit tandemq; deo furibunda recepto,
Magna petis dixit, vir factis maxime, cuius
Dextera per ferrũ est, pietas spectata per ignes.
110 Pone tamen Troiane metum, potiere petitis,
Elysiasq; domos, & regna nouissima mundi
Me duce cognosces, simulacraq; cara parentis.
Inuia virtuti nulla est via, dixit, & auro
Fulgentem ramum sylua Iunonis auernæ
115 Monstrauit, iussitq; suo diuellere trunco.

Paruit Aeneas, & formidabilis Orci
Vidit opes, Atauosq; suos, vmbramq; senilem
Magnanimi Anchisæ, didicit quoq; iura locorũ,
Quæq; nouis essent adeunda pericula bellis.
Inde ferens lapsos auerso tramite passus 120
Cum duce cumæa fallit sermone laborem.
Dumq; iter horrendũ per opaca crepuscula carpit,
Seu dea tu præsens, seu diis gratissima dixit,
Numinis instar eris semper mihi, meq; fatebor
Muneris esse tui, quæ me loca mortis adire, 125
Quæ loca me visæ voluisti euadere mortis.
Pro quibus aerias meritis euectus ad auras,
Templa tibi statuam, tribuã tibi thuris honores.
Respicit hunc Vates, & suspiratibus haustis,
Nec dea sum dixit, nec sacri thuris honore 130
Humanum dignare caput, neu nescius erres
Lux æterna mihi, carituraq; fine dabatur,
Si mea virginitas Phœbo patuisset amanti.
Dum tamẽ hanc sperat, dum præcorrũpere donis
Me cupit, elige ait virgo cumæa, quid optes, 135
Optatis potiere tuis, ego pulueris hausti
Ostendens cumulũ, quot haberet corpora puluis,
Tot mihi natales contingere vana rogaui.
Excidit vt peterem iuuenes quoq; protinus annos.
Hos tamen ille mihi dabat, æternamq; iuuentam, 140
Si Venerem paterer, contempto munere Phœbi
Innuba permaneo, sed iam fœlicior ætas
Terga dedit, tremuloq; gradu venit ægra senectus,
Quæ patienda diu est, nã iam mihi sæcula septem
Acta vides, superest numeros vt pulueris æquem, 145
Tercentum messes, tercentum musta videre.

Tempus erit, cum de tanto me corpore paruam
Longa dies faciet, consumptaq; membra senecta,
Ad minimũ redigentur onus, nec amata videbor,
150 Nec placuisse deo, Phœbus quoq; forsitan ipse
Vel non agnoscet, vel dilexisse negabit.
Vsq; adeo mutata ferar, nullíq; videnda,
Voce tamẽ noscar, vocem mihi fata relinquent.
Talia conuexum per iter memorante Sibylla,
155 Sedibus Euboicam stygiis emersit in vrbem
Troius Aeneas, sacrisq; ex more litatis,
Littora adit nondum nutricis habentia nomen.
Hic quoq; substiterat post tædia longa laborum
Neritius Macareus comes experientis Vlyssei
160 Desertum quondam mediis in rupibus Aetnæ
Noscit Achemeniden, improuisoq; repertum
Viuere miratus, quis te casusve, deusve
Seruat Achemenides? cur inquit barbara Graium
Prora vehit? petitur vestra quæ terra carina?
165 Talia quærenti iam non hirsutus amictu,
Iam suus, & spinis conserto tegmine nullis
Fatur Achemenides, iterũ Polyphemon, & illos
Aspiciam fluidos humano sanguine rictus.
Hæc mihi ni potior domus est, Ithacíq; carina.
170 Si minus Aeneam veneror genitore, nec vnq̃
Esse satis potero (præstem licet omnia) gratus.
Quod loquor, & spiro, cœlumq; & lumina Solis
Aspicio, (possim ne ingratus & immemor esse?)
Ille dedit, quod non anima hæc Cyclopis in ora
175 Venit, & vt lumen iam nunc vitale relinquam,
Vt tumulo, aut certe non illa condar in aluo.
Quid mihi tunc animi, nisi si timor abstulit omẽm

Sensum, animũq; fuit: cum vos petere alta relictus
Aequora conspexi, voluti inclamare, sed hosti
Prodere me timui, vestræ quoq; clamor Vlyssis 180
Pene rati nocuit, vidi cum monte reuulsum
Immanem scopulum medias permisit in vndas.
Vidi iterum veluti tormenti viribus acta
Vasta giganteo iaculantem saxa lacerto.
Et ne deprimeret fluctus ve, lapis ve carinam 185
Pertimui, iam me non esse oblitus in illa.
Vt vero fuga vos ab acerba morte reduxit,
Ille quidẽ totam gemebũdus obambulat Aetnam,
Prætentatq; manu syluas, & luminis orbus
Rupibus incursat, fœdataq; brachia tabo 190
In mare protendens gentem execratur Achiuam.
Atq; ait, o si quis referat mihi casus Vlyssem,
Aut aliquem ex sociis in quem mea sæuiat ira,
Viscera cuius edam, cuius viuentia dextra
Membra mea laniem, cuius mihi sanguis inundet 195
Guttur, & Elisi trepident sub dentibus artus,
Quã nullũ, aut leue sit damnũ mihi lucis adẽptæ.
Hæc, & plura ferox, me luridus occupat horror
Spectantem vultus, etiamnum cæde madentes,
Crudelesq; manus & inanem luminis orbem 200
Membraq;, & humano concretã sanguine barbã.
Mors erat ante oculos, minimũ tamen ipsa doloris,
Et iam prensurum, iam nunc mea viscera rebar
In sua mersurum, mentiq; hærebat imago
Temporis illius, quo vidi bina meorum 205
Ter, quater affligi sociorum corpora terræ.
Cum super ipse iacens hirsuti more Leonis
Visceraq;, & carnes, cumq; albis ossa medullis,

Semianimesq; artus auidam condebat in aluum,
210 Me tremor inuasit, stabam sine sanguine mœstus,
Mandentemq; videns, eiectantemq; cruentas
Ore dapes, & frustra mero glomerata vomẽtem.
Talia fingebam misero mihi fata parari.
Perq; dies multos latitans, omnemq; tremiscens
215 Ad strepitũ, mortemq; timens, cupidusq; moriri
Glande famem pellens, & mixta frondibus herba,
Solus, inops, expes, leto, pœnæq; relictus,
Hanc procul aspexi longo post tempore nauem,
Orauiq; fugam gestu, ad littusq; cucurri,
220 Et moui, Graiumq; ratis Troiana recepit.
Tu quoq; pande tuos comitum gratissime casus
Et ducis, & turbæ, quæ tecum est credita ponto.
Aeolon ille refert tusco regnare profundo,
Aeolon Hippotaden cohibentẽ carcere ventos,
225 Quos bouis inclusos tergo (memorabile munus)
Dulichium sumpsisse ducem, flatuq; secundo
Lucibus isse nouem, & terram aspexisse petitam.
Proxima post nonam, cum sese aurora moueret,
Inuidia socios, prædæq; cupidine victos
230 Esse ratos aurum, dempsisse ligamina ventis.
Cum q̃bus isse retro, per q̃s modo venerat vndas,
Aeoliiq; ratem portus repetisse tyranni.
Inde Lami veterẽ læstrygonis inquit in vrbem
Venimus, Antiphates terra regnabat in illa.
235 Missus ad hunc ego sum numero comitante duorũ.
Vixq; fuga quæsita salus, comitiq;, mihiq;.
Tertius e nobis Læstrygonis impia tinxit
Ora cruore suo fugientibus instat, & agmen
Concitat Antiphates, coeunt, & saxa trabesq;

Coiiciunt, merguntq; viros, merguntq; carinas. 240
Vna tamen, quæ nos, ipsumq; vehebat Vlyssem
Effugit amissa sociorum parte, dolentes
Multaq; conquæsti terris allabimur illis,
Quas, pcul hinc cernis, pcul hīc (mihi crede) videda
Insula visa mihi, tuq; o iustissime Troum 245
Nate dea (neq; enim finito Marte vocandus
Hostis es Aenea) moneo fugę littora Circes.
Nos quoq; Circæo religata in littore pinu
Antiphatæ memores, immansuetiq; Cyclopis
Ire negabamus, & tecta ignota subire. 250
Sorte sumus lecti, sors me, fidumq; Polyten
Eurylochumq; simul, nimiiq; Elpenora vini,
Biscq; nouem socios Circæa ad mœnia misit.
Quæ simul attigimus, stetimusq; in limine tecti
Mille Lupi, mixtiq; Lupis, Vrsiq;, Leæq; 255
Occursu fecere metum, sed nulla timenda,
Nullaq; erat nostro factura in corpore vulnus.
Quin etiam blandas mouere per aera caudas
Nostraq; adulantes comitant vestigia, donec
Excipiunt famulæ, perq; atria marmore tecta 260
Ad dominam ducunt, pulchro sedet illa recessu
Sublimi solio, pallam induta nitentem
Insuper aurato circumuelatur amictu.
Nereides, Nymphæq; simul, quæ vellera motis
Nulla trahunt digitis, nec fila sequentia ducunt. 265
Gramina disponunt, sparsoq; sine ordine flores
Secernunt calathis, variisq; coloribus herbas.
Ipsa quod hæ faciunt opus exigit, ipsa quis vsus,
Quove sit in folio, quæ sit concordia mixtis
Nouit, & aduertens pensas examinat herbas. 270

Hæc vbi nos vidit, dicta acceptaq; salute,
Diffudit vultus, & reddidit omnia votis.
Nec mora, misceri tosti iubet ordea grani,
Mellaq;, vimq; meri, & cum lacte coagula passo,
275 Quiq; sub hac lateant furtim dulcedine, succos
Adiicit, accipimus sacra data pocula dextra.
Quæ simul arenti sitientes hausimus ore,
Et tetigit virga summos dea dira capillos,
Et pudet, & referam, setis horrescere cœpi,
280 Nec iam posse queri, pro verbis edere raucum
Murmur, & in terram toto procumbere vultu.
Oscq; meum sensi pando occalescere rostro.
Colla tumere toris, & qua modo pocula parte
Sumpta mihi fuerant, illa vestigia feci.
285 Cumq; eadẽ passis (tantũ medicamina possunt)
Claudor in antra, suis solum caruisse figura
Vidimus Eurylochum, solus data pocula fugit.
Quæ nisi vitasset pecoris pars vna maneret.
Nunc quoq; setigeri, nec tantæ cladis ab illo
290 Certior ad Circen vltor venisset Vlysses.
Pacifer huic dederat florem Cyllenius album
Moly vocant superi, nigra radice tenetur,
Tutus eo, monitisq; simul cœlestibus intrat
Ille domum Circes, & ad insidiosa vocatus
295 Pocula, conantem virga mulcere capillos
Reppulit, & stricto pauidam deterruit ense.
Inde fides, dextræq; datæ, thalamoq; receptus
Coniugij dotem sociorum corpora poscit.
Spargimur ignotæ succis melioribus herbæ,
300 Percutimurq; caput conuersæ verbere virgæ.
Verbaq; dicuntur dictis contraria verbis.

Quò magis illa canit, magis hoc tellure leuati
Erigimur, ſetæq; cadunt, bifidosq; relinquit
Rima pedes, redeunt humeri, & ſubiecta lacertis
Brachia ſunt, flentem, flentes cõplectimur illum, 305
Hæremusq; ducis collo, nec verba locuti
Vlla priora ſumus, q̃ nos teſtantia gratos.
Annua nos illic tenuit mora, multaq; præſens
Tempore tam longo vidi, multa auribus hauſi.
Hoc quoq; cũ multis, q̃d clam mihi rettulit vna 310
Quattuor e famulis ad talia ſacra paratis.
Cum duce nanq; meo Circe dum ſola moratur,
Illa mihi niueo factum de marmore ſignum
Oſtendens iuuenile, gerens in vertice Picum
Aede ſacra poſitum, multisq; inſigne coronis, 315
Quis foret, & quare ſacra coleretur in æde,
Cur hanc ferret auem, quærenti, & ſcire volenti
Accipe ait Macareu, dominæq; potentia quæ ſit
Hinc quoq; diſce meæ, tu dictis adiice mentem.
Picus in Auſoniis proles Saturnia terris 320
Rex fuit vtilium bello ſtudioſus equorum.
Forma viro, quã cernis, erat, licet ipſe decorem
Aſpicias, fictaq; probes ab imagine veram.
Par animus formæ, nec adhuc ſpectaſſe tot annos
Quinquennem poteras Graia quater edere pugna. 325
Ille ſuos Dryadas latiis in montibus ortas
Verterat in vultus, illum fontana petebant
Numina Naiades, quas Albula, quasq; Numici
Quas Anienis aquæ, curſuq; breuiſſimus Almo,
Narve tulit præceps, & opacæ, Farfarus vndæ, 330
Quæq; colunt Scythicæ ſtagnũ nemorale Dianæ,
Finitimosq; lacus, ſpretis tamen omnibus vnam

Ille colit Nymphã, quam quondã in colle Palati
Dicitur ancipiti peperisse Venilia Iano.
335 Hæc vbi nubilibus primum maturuit annis
Præposito cunctis laurenti tradita Pico est.
Rara quidem facie, sed rarior arte canendi,
Vnde canens dicta est, syluas & saxa mouere,
Et mulcere feras, & flumina longa morari
340 Ore suo, volucresq; vagas retinere solebat.
Quæ dum fœminea modulatur carmina voce,
Exierat tecto laurentes Picus in agros
Indigenas fixurus apros, tergumq; premebat
Acris equi, leuaq; hastilia bina gerebat
345 Phœniceam fulvo chlamydẽ comprẽsus ab auro,
Venerat in syluas, & filia Solis easdem,
Vtq; nouas legeret fœcundis collibus herbas,
Nomine dicta suo Circæa reliquerat arua.
Quæ simulac iuuenem virgultis abdidita vidit,
350 Obstupuit, cecidere manu, quas legerat, herbas,
Flammaq; per totas visa est errare medullas.
Vt primum valido mentem collegit ab æstu,
Quid cuperet fassura fuit, ne posset adire
Cursus equi fecit, circunfususq; satelles.
355 Non tamen effugies, vento rapiare licebit,
Si modo me noui, si non euanuit omnis
Herbarum virtus, nec me mea carmina fallunt.
Dixit, & effigiem nullo cum corpore falsi
Finxit apri, præterq; oculos transcurrere regis
360 Iussit, & in densum trabibus nemus ire videri,
Plurima qua sylua est, & equo loca p̃uia nõ sunt.
Haud mora, cõtinuo prædæ petit inscius vmbrã
Picus, equiq; celer spumantia terga reliquit.

Spemq; sequens vanã, sylua pedes errat in alta.
Concipit illa preces, & verba precantia dixit, 365
Ignotosq; deos ignoto carmine adorat,
Quo solet & niueæ vultum confundere Lunæ,
Et patrio capiti bibulas subtexere nubes.
Tunc quoq; cantato densatur carmine cœlum,
Et nebulas exhalat humus, cæcisq; vagantur 370
Limitibus comites, & abest custodia regis.
Nacta locum, tempusq;, per o tua lumina (dixit)
Quæ mea cœperũt, perq; hanc pulcherríme formã,
Quæ facit vt supplex tibi sim dea, consule nostris
Ignibus, & socerũ, qui præuidet omnia, Solem 375
Aspice, nec durus Titanida despice Circen,
Dixerat, ille ferox ipsamq;, precesq; repellit,
Et quæcunq; es (ait) non sum tuus, altera captum
Me tenet, & teneat per longum comprecor æuum,
Nec Venere externa socialia fœdera lædam, 380
Dum mihi Ianigenam seruabunt fata canentem.
Sæpe retentatis precibus Titania frustra,
Non impune feres, neq; (ait) reddere canenti
Læsaq; quid faciat, q̃d amãs, quid fœmina disces
Rebus ait, sed amãs, & læsa, & fœmina, Circe est. 385
Tum bis ad occasum, bis se conuertit ad ortum,
Ter iuuenem baculo tetigit, tria carmina dixit.
Ille fugit, sed se solito velocius ipse
Currere miratus, pennas in corpore vidit,
Seq; nouam subito latis accedere syluis 390
Indignatus auem, duro fera robora rostro
Figit, & iratus longis dat vulnera ramis,
Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem,
Fibula q̃d fuerat, vestemq; momorderat aurum

395 Pluma fit, & fuluo ceruix præcingitur auro,
Nec quicq̃ antiquum Pico, nisi nomina, restat.
Interea comites clamato sæpe per agros
Ne quicq̃ Pico, nullaq; in parte reperto,
Inueniunt Circen, nam tenuauerat auras,
400 Passaq; erat nebulas ventis, ac Sole resolui,
Criminibusq; premunt veris, regemq; reposcunt,
Vimq; ferunt, sæuisq; parant incessere telis.
Illa nocens spargit virus, succosq; veneni,
Et noctem, noctisq; deos, Ereboq;, Chaoq;
405 Conuocat, & longis hecaten vlulatibus orat.
Exiluere loco (dictu mirabile) syluæ,
Ingemuitq; solum, vicinaq; palluit arbor,
Sparsaq; sanguineis rubuerunt pabula guttis,
Et lapides visi mugitus edere raucos,
410 Et latrare canes, & humus serpentibus atris
Squallere, & tenues animæ volitare videntur.
Attonitũ monstris vulgus pauet, illa pauentum
Ora venenata tetigit mirantia virga.
Cuius ab attactu variarum monstra ferarum
415 In iuuenes veniunt nulli sua mansit imago.
Presserat occiduus Tarthesia littora Phœbus,
Et frustra coniux oculis, animoq; canentis
Expectatus erat, famuli, populusq; per omnes
Discurrunt syluas, atq; obuia lumina portant.
420 Nec satis est Nymphæ flere, & lacerare capillos,
Et dare plangorem, facit hæc tamẽ omnia, seq;
Proripit, ac latos errat vesana per agros.
Sex illam noctes, totidem redeuntia Solis
Lumina viderunt inopem, somniq;, cibiq;
425 Per iuga, per valles, qua sors ducebat, euntem,

Vltimus aspexit fessam luctuq;, viaq;
Tybris, & in gelida ponentem corpora ripa.
Illic cum lachrymis ipsos modulata dolores
Verba sono tenui mœrens fundebat vt olim
Carmina iam moriens canit exequialia Cygnus. 430
Luctibus extremũ tenues liquefacta medullas
Tabuit, inq; leues paulatim euanuit auras.
Fama tamen signata loco est, quem rite canentem
Nomine de Nymphæ veteres dixere coloni,
Talia multa mihi longum narrata per annum, 435
Visaq; sunt, resides, & desuetudine tardi
Rursus inire fretum, rursus dare vela iubemur,
Ancipitesq; vias, & iter Titania vastum
Dixerat, & sæui restare pericula Ponti.
Pertimui (fateor) nactusq; hoc littus, adhæsi. 440
Finierat Macareus, vrnaq; Aeneia nutrix
Condita marmoreo tumulo breue carmẽ habebat
Hic me Caietam notæ pietatis Alumnus
Ereptam argolico, quo debuit igne, cremauit.
Soluitur herboso religatus ab aggere funis, 445
Et procul insidias, infamataeq; relinquunt
Tecta deæ, lucosq; petunt, vbi nubilus vmbra
In mare cum fulua prorumpit Tybris arena,
Faunigenæq; domo potitur, nataq; latini
Non sine Marte tamen bellũ cum gente feroci 450
Suscipitur, pactaq; furit pro coniuge Turnus.
Concurrit Latio Tyrrhenia tota, diuq;
Ardua sollicitis victoria quæritur armis.
Auget vterq; suas externo robore vires.
Et multi Rutulos multi Troiana tuentur 455
Castra, neq; Aeneas Euandri ad mœnia frustra,

At Venulus fruſtra profugi Diomedis ad vrbem
Venerat, ille quidem ſub Iapyge maxima Dauno
Mœnia condiderat, dotaliaq; arua tenebat.
460 Sed Venulus Turni poſtq̃ mandata peregit,
Auxilium petiit, vires Aetolius Heros
Excuſat, nec ſe aut ſoceri committere pugnæ
Velle ſui populos, aut quos e gente ſuorum
Armet habere vllos, neve hæc cõmenta putetis,
465 (Admonitu quanq̃ luctus renouentur amari)
Perpetiar memorare tamẽ, poſtq̃ alta cremata eſt
Ilion, & danaas pauerunt Pergama flammas,
Naritiusq; Heros a virgine, virgine rapta
Quam meruit pœnam, ſolus digeſſit in omnes,
470 Spargimur, & ventis inimica per æquora rapti
Fulmina, noctem, imbres, iram, cœliq;, mariſq;,
Perpetimur Danai, cumulũq; Capharea cladis.
Neve morer referens triſtes ex ordine caſus,
Grecia tum potuit Priamo quoq; flenda videri.
475 Me tamen armiferæ ſeruatum cura Mineruæ
Fluctibus eripuit, patriis ſed rurſus ab agris
Pellor, & antiquo memores de vulnere pœnas
Exigit alma Venus, tantosq; per alta labores
Aequora ſuſtinui, tantos terreſtribus armis,
480 Vt mihi fœlices ſint illi ſæpe vocati,
Quos cõmunis hyem, inportunusq; Caphareus
Merſit aquis, vellemq; horum pars vna fuiſſe.
Vltima iam paſſi comites, belloq;, fretoq;,
Deficiunt, finemq; rogant erroris, at Agmon
485 Feruidus ingenio, tum vero, & cladibus aſper,
Quid ſupereſt, quod iam patientia noſtra recuſet
Ferre viri? dixit, quid habet Cytherea, quod vltra

Velle puta, faciat: nam dum peiora timentur
Est locus in voto, sors autē vbi pessima rerum est,
Sub pedibus timor est, securaq; summa malorū. 490
Audiat ipsa, licet, & quod facit, oderit omneis
Sub Diomede viros, odium tamen illius omnes
Spernimus, & magno stat magna potentia nobis.
Talibus iratam Venerem, Pleuronius Agmon
Instimulat verbis, veteremq; resuscitat iram. 495
Dicta placent paucis, numeri maioris amici
Agmona corripimus, cui respondere volenti
Vox pariter, vocisq; via est tenuata, comæq;
In plumas abeunt, plumis quoq; colla teguntur,
Pectoraq;, & tergum, maiores brachia pennas 500
Accipiunt, cubitiq; leues tenuantur in alas.
Magna pedis digitos, pars occupat, oraq; cornu
Indurata rigent, finemq; in acumine ponunt.
Hunc Lycus, hūc Idas, & cū Rethenore, Nycteus
Hunc miratur Abas, & dum mirantur, eandem 505
Accipiunt faciem, numerusq; ex agmine maior
Subuolat, & remos plausis circumuolat alis.
Si volucrum quæ sit dubiarum forma requiris,
Vt non Cygnorum, sic albis proxima Cygnis.
Vix equidem has sedes, & Iapygis arida Dauni 510
Arua gener teneo minima cum parte meorum.
Hactenus Oenides, Venulus Calydonia regna,
Peucetiosq; sinus, Melapiaq; arua reliquit
In quibus antra videt, quæ multa nubila sylua,
Et leuibus guttis manantia Semicaper Pan 515
Nunc tenet, at quodā tenuerunt tēpore Nymphæ.
Appulus has illa pastor regione fugatas
Terruit, & primo subita formidine mouit.

Mox vbi mens rediit, & contempsere sequentem,
520 Ad numerum motis pedibus duxere choreas.
Improbat has pastor, saltuq; imitatus agresti
Addidit obscœnis conuitia rustica dictis.
Nec prius obticuit, quã guttura condidit arbor.
Arbor enim est, succoq; licet cognoscere mores.
525 Quippe notam linguæ baccis oleaster amaris
Exhibet, asperitas verborum cessit in illas.
Hinc vbi legati rediere negata ferentes
Arma Aetola sibi, Rutuli sine viribus illis
Bella infausta gerunt, multũq; ab vtraq; cruoris
530 Parte datur, fert ecce auidas in Pinea Turnus
Tecta faces, ignesq; timent, qbus vnda pepercit.
Iamq; picem, & cæras, alimẽtaq; cætera flammæ
Mulciber vrebat, perq; altũ ad carbasa malum
Ibat, & incuruæ fumabant transtra carinæ.
535 Cum memor has pinus Idæo vertice cæsas
Sancta deum genitrix tinnitibus Aethera pulsi
Aeris, & inflati compleuit murmure buxi.
Perq; leues domitis inuecta leonibus auras
Irrita sacrilega iactas incendia dextra
540 Turne ait eripiam, nec me patiente cremabit
Ignis edax nemorũ partes, & membra meorum.
Intonuit dicente dea, tonitrumq; secuti
Cum saliente graues ceciderunt grandine nimbi.
Aeraq;, & tumidũ subitis concursibus æquor
545 Astræi turbant, & eunt in prælia fratres.
E quibus alma parens vnius viribus vsa
Stuppea prærupit Phrygiæ retinacula puppis,
Fertq; rates pronas, medioq; sub æquore mergit.
Robore mollito, lignoq; in corpora verso

In capitum facies puppes mutantur aduncæ.
In digitos abeunt, & crura natantia remi.
Quodq; sinus fuerat, latus est, mediisq; carina
Subita nauigiis spinæ mutatur in vsum.
Lina comæ molles, antennæ brachia fiunt.
Cœrulus vt fuerat, color est, quasq; ante timebãt,
Illas virgineis exercent lusibus vndas.
Naides æquoreæ, summis in montibus ortæ,
Molle fretum celebrant, nec eas sua tangit origo.
Non tamen oblitæ quam multa pericula sæpe
Pertulerint pelago, iactatis sæpe carinis
Supposuere manus, nisi si qua vehebat Achiuos.
Cladis adhuc Phrygiæ, memores odere Pelasgos,
Neritiæq; ratis viderunt fragmina lætis
Vultibus & lætis videre rigescere puppes
Vultibus Alcinoi, saxumq; increscere ligno
Spes erat in Nymphas animata classe marinas
Posse metu monstri Rutulum desistere bello.
Perstat, habetq; deos pars vtraq;, quodq; deorũ est
Instar, habent animos, nec iam dotalia regna,
Nec sceptrum soceri, nec te Lauinia virgo,
Sed vicisse petunt, deponendiq; pudore
Bella gerunt, tandemq; Venus victricia nati
Arma videt, Turnus q; cadit, cadit Ardea Turno
Sospite dicta potens, quam postq̃ barbarus ensis
Abstulit, & trepida patuerunt tecta fauilla,
Congerie e media tum primum cognita præpes
Subuolat, & cineres plausis euerberat alis,
Et sonus, & macies, & pallor, & omnia, captam
Quæ deceant vrbẽ, nomen quoq; mansit in illa
Vrbis, & ipsa suis deplangitur Ardea pennis.

Iamq; deos omnes, ipsamq; Aeneia virtus
Iunonem veteres finire coercuit iras.
Cum bene fundatis opibus crescentis Iuli
Tempestiuus erat cœlo Cythereius Heros,
585 Ambieratq; Venus superos, colloq; parentis
Circunfusa sui, nunq̃ mihi dixerat vllo
Tempore dure pater, nunc sis mitissimus opto.
Aeneæq; meo, qui te de sanguine nostro
Fecit auum, q̃uis paruum, des optime numen
590 Dum modo des aliquid, satis est inamabile regnũ
Aspexisse semel, stygios semel isse per amnes.
Assensere dei, nec coniux regia vultus
Immotos tenuit, placatoq; annuit ore.
Tum pater est is ait cœlesti numine dignus,
595 Quæq; petis, pro quoq; petis, cape nata q̃d optas,
Fatus era t, gaudet, gratesq; agit illa parenti,
Perq; leues auras iunctis inuecta columbis
Littus adit laurens, vbi tectus arundine serpit
In freta flumineis vicina Numicius vndis.
600 Hunc iubet Aeneæ quæcunq; obnoxia morti
Abluere, & tacito deferre sub æquora cursu.
Corniger exequitur Veneris mandata, suisq;
Quicquid in Aenea fuerat mortale repurgat,
Et respersit aquis, pars optima restitit illi.
605 Lustratum genitrix diuino corpus odore
Vnxit, & ambrosia cum dulci nectare mixta
Contigit os, fecitq; deum, quem turba Quirini
Nuncupat indigetem, temploq;, ariscq; recepit.
Inde sub Ascanij ditione binominis, Alba
610 Resq; latina fuit, successit Syluius illi.
Quo satus, antiquo tenuit repetita latinus

Nomina cum ſceptro, clarus ſubit ecce latino.
Epitus ex illo, poſt hunc Capetusq;, Capysq;,
Sed Capys ante fuit, regnũ Tyberinus ab illis
Cepit & in thuſci demerſus fluminis vndis 615
Nomina fecit aquæ, de quo Remulusq;, feroxq;
Acrota ſunt geniti, Remulus maturior annis
Fulmineo periit imitator fulminis ictu.
Fratre ſuo ſceptrum moderatior Acrota forti
Tradit Auentino, qui quo regnarat, eodem 620
Monte iacet poſitus, tribuitq; vocabula monti.
Iamq; palatinus ſummæ loca gentis habebat.
Rege ſub hoc Pomona fuit, qua nulla latinas
Inter Hamadryadas coluit ſolertius hortos,
Nec fuit arborei ſtudioſior altera fœtus, 625
Vnde tenet nomen, non ſyluas illa, nec amnes,
Rus amat, & ramos fœlicia poma ferentes,
Nec iaculo grauis eſt, ſed adunca dextera falce,
Qua modo luxuriem premit, & ſpaciantia paſſim
Brachia compeſcit, fiſſa modo cortice, lignum 630
Inſerit, & ſuccos alieno præſtat alumno.
Nec ſentire ſitim patitur, bibulæq; recuruas
Radicis fibras, labentibus irrigat vndis.
Hic amor, hoc ſtudiũ, Veneris q̃q; nulla cupido eſt.
Vim tamen agreſtum metuens, pomaria claudit 635
Intus, & acceſſus prohibet, refugitq; viriles.
Quid non & Satyri ſaltatibus apta iuuentus
Fecere? & pinu præcincti cornua Panes?
Silenusq; ſuis ſemper iuuenilior annis?
Quiq; deus fures, vel falce, vel inguine terret? 640
Vt poterentur ea, ſed enim ſuperabat amando
Hos quoq; Vertumnus, neq; erat fœlicior illis.

O quoties habitu duri messoris aristas
Corbe tulit, vericq; fuit messoris imago.
645 Tempora sæpe gerens fœno religata recenti
Defectum poterat gramen versare videri.
Sæpe manu stimulos rigida portabat, vt illum
Iurasses fessos modo disiunxisse iuuencos.
Falce data, frondator erat, vitisq; putator
650 Induerat scalas, lecturum poma putares.
Miles erat gladio, piscator arundine sumpta.
Denicq; per multas aditum sibi sæpe figuras
Repperit, vt caperet spectatæ gaudia formæ.
Ille etiam picta redimitus tempora mitra
655 Innitens baculo, positis per tempora canis
Assimulauit anum, cultosq; intrauit in hortos,
Pomaq; mirata est, tantoq; potentior (inquit)
Omibus es Nymphis, quas continet Albula ripis.
Salue virginei flos intemerate pudoris.
660 Paucaq; laudatæ dedit oscula, qualia nunquam
Vera dedisset anus, glebaq; incurua resedit
Suspiciens pandos autumni pondere ramos.
Vlmus erat contra speciosa nitentibus vuis,
Quam socia postq; pariter cum vite probauit,
665 Ast si staret (ait) cœlebs sine palmite truncus,
Nil præter frondes quare peteretur, haberet.
Hæc quoq; q̃ iunctaest Vitis, requiescit in vlmo,
Si non iuncta foret, terræ acclinata iaceret.
Tu tamen exemplo non tangeris arboris huius,
670 Concubitusq; fugis, nec te coniungere curas.
Atq; vtinam velles, Helene non pluribus esset
Sollicitata procis, nec quæ Lapitheia mouit
Prælia, nec coniux timidi, aut audacis Vlyssei.

Nunc quoq; cum fugias, auerseris q; petentes,
Mille viri cupiunt, & semideiq;, deiq;, 675
Et quæcunq; tenent albanos numina montes.
Sed tu si sapies, si te bene iungere, anumq;
Hanc audire voles, quæ te plus omnibus illis,
Plus quam credis, amo, vulgares reiice tædas.
Vertumnumq; tori socium tibi delige, pro quo 680
Me quoq; pignus habe, neq; em̃ sibi notior ille est.
Quam mihi, nec toto passim vagus errat in orbe.
Hæc loca magna colit, nec vti pars magna procorũ,
Quam modo vidit, amat, tu primus, & vltimus illi
Ardor eris, Solicq; suos tibi deuouet annos. 685
Adde q; est iuuenis, quod naturale decoris
Munus habet, formasq; apte fingetur in omnes.
Et quod erit iussus (iubeas licet omnia) fiet.
Quid q; amatis idem? quid quæ tibi poma colũtur,
Primus habet: lætaq; tenet tua munera dextra. 690
Sed neq; iam fœtus desyderat arbore demptos,
Nec quas hortus alit cum succis mitibus herbas,
Nec quicq̃ nisi te, miserere ardentis, & ipsum
Quod petit, ore meo præsentem crede precari.
Vltoresq; deos, & pectora dura perosam 695
Idaliam, memoremq; time Rhamnusidis iram.
Quoq; magis caueas (& em̃ mihi multa vetustas
Scire dedit) referam tota notissima Cypro
Facta, quibus flecti facile, & mitescere possis.
Viderat a veteris generosam sanguine Teucri 700
Iphis Anaxareten humili de stirpe creatus.
Viderat, & totis perceperat ossibus ignes,
Luctatusq; diu postq̃ ratione furorem
Vincere non potuit, supplex ad limina venit.

705 Et modo nutrici miſerum confeſſus amorem,
Ne ſibi dura foret, per ſpes orauit Alumnæ.
Et modo de multis alicui blanditus amicis
Sollicita petiit propenſum voce fauorem.
Sæpe ferenda dedit blandis ſua verba tabellis.
710 Interdum madidas lachrymarum rore coronas
Poſtibus intendit, poſuitq; in limine duro
Molle latus, triſtisq; ſeræ conuitia fecit.
Sæuior illa freto ſurgente, cadentibus hœdis,
Durior & ferro, quod Noricus excoquit ignis,
715 Et ſaxo, quod adhuc viuum radice tenetur.
Spernit, & irridet, factisq; immitibus addit
Verba ſuperba ferox, & ſpe quoq; fraudat amantẽ.
Non tulit impatiens longi tormenta doloris
Iphis, & ante fores hæc verba nouiſſima dixit.
720 Vincis Anaxarete, neq; erunt tibi tædia tandem
Vlla ferenda mei, lætos molire triumphos,
Et Pæana voca, nitidaq; incingere lauro.
Vincis enim, moriorq; libens, age ferrea gaude.
Certe aliquid laudare mei cogeris, eritq;
725 Quo tibi ſim gratus, meritũq; fatebere noſtrum.
Non tamen ante mihi curam exceſſiſſe memento,
Quam vitã, geminaq; ſimul mihi luce carendũ eſt.
Nec tibi fama mei ventura eſt nuncia leti.
Ipſe ego, ne dubites, adero, præſensq; videbor
730 Corpore vt exanimi crudelia lumina paſcas.
Si tamen o ſuperi mortalia facta videtis,
Eſte mei memores, nihil vltra lingua precari
Suſtinet, & longo, facite vt narremur in æuo,
Et quæ dempſiſtis vitæ, date tempora famæ.
735 Dixit, & ad poſtes ornatos ſæpe coronis

Humentes oculos, & pallida brachia tollens,
Cum foribus laquei religaret vincula summis,
Hæc tibi serta placent crudelis, & impia dixit.
Inseruitq; caput, sed tũ quoq; versus ad illam est,
Atq; onus infœlix elisa fauce pependit. 740
Icta pedũ motu trepidantũ, & multa timentum
Visa dedisse sonum est, adapertaq; ianua factum
Prodidit, exclamant famuli, frustraq; leuatum
(Nam pater occiderat) referunt ad limina matris.
Accipit illa sinu, complexaq; frigida nati 745
Membra sui, postq̃ miserarum verba parentum
Edidit, & matrum miserarum facta peregit,
Funera ducebat mediam lachrymosa per vrbem,
Luridaq; arsuro portabat membra pheretro.
Forte viæ vicina domus, quam flebilis ibat 750
Pompa, fuit, duræq; sonus plangoris ad aures
Venit Anaxaretes, quã iam deus vltor agebat.
Mota tamen videamus (ait) miserabile funus,
Et patulis iniit tectum sublime fenestris.
Vixq; bene impositum lecto prospexerat Iphim, 755
Diriguere oculi, calidusq; e corpore sanguis
Inducto pallore fugit, conataq; retro
Ferre pedes, hæsit, conata auertere vultus
Hoc quoq; non potuit, paulatimq; occupat artus,
Quod fuit in duro iam pridem corpore saxum. 760
Neve ea ficta putes, dominæ sub imagine signũ
Seruat adhuc Salamis, Veneris quoq; noĩe templũ
Prospicientis habet, quorũ memor o mea, lentos
Pone (precor) fastus, & amanti iungere Nymphæ.
Sic tibi nec vernum nascentia frigus adurat 765
Poma, nec excutiant rapidi florentia venti.

Hæc vbi nequicq̃ formas deus aptus in omnes,
Edidit, in iuuenem rediit, & anilia demit
Instrumenta sibi, talisq; apparuit illi,
770 Qualis vbi oppositas nitidissima Solis imago
Euicit nubes, nullaq; obstante reluxit.
Vimq; parat, sed vi non est opus, inq; figura
Capta dei Nympha est, & mutua vulnera sensit.
Proximus Ausonias iniusti miles Amuli
775 Rexit opes, Numitorq; senex amissa nepotum
Munere regna capit, festisq; Parilibus vrbis
Mœnia conduntur, Tatius, patresq; Sabini
Bella gerunt, arcisq; via Tarpeia reclusa
Dignam animam pœna congestis exuit armis.
780 Inde sati curibus tacitorum more luporum
Ore premunt voces, & corpora victa sopore
Inuadunt, portasq; petunt, quas obiice firmo
Clauserat Iliades, vnam tamen ipsa reclusit,
Nec strepitum verso Saturnia cardine fecit.
785 Sola Venus portæ cecidisse repagula sensit,
Et clausura fuit, nisi q; rescindere nunq̃
Dis licet acta deum, Iano loca iuncta tenebant
Naides Ausoniæ gelido rorantia fonte.
Has rogat auxiliũ, nec Nymphæ iusta petentem
790 Sustinuere deam, venasq;, & flumina fontis
Elicuere sui, non dum tamen inuia Iani
Ora patentis erant, nec iter præcluserat vnda.
Lurida supponunt fœcundo sulfura fonti,
Incenduntq; cauas fumante bitumine venas.
795 Viribus his, aliisq; vapor penetrauit ad ima
Fontis, & alpino modo quæ certare rigori
Audebatis aquæ, non cedítis ignibus ipsis.

Flammifera gemini fumant aſpergine poſtes,
Portaq; nequicq; rigidis promiſſa Sabinis
Fonte fuit præſtructa nouo, dum Martius arma 800
Induerat miles, quæ poſtq; Romulus vltro
Obtulit, & ſtrata eſt tellus Romana Sabinis
Corporibus, ſtrata eſtq; ſuis, genericq; cruorem
Sanguine cum ſoceri permiſcuit impius enſis,
Pace tamen ſiſti bellum, nec in vltima ferro 805
Decertare placet, Tatiumq; accedere regno.
Occiderat Tatius, populiſq; æquata duobus
Romulæ iura dabas, poſita cum caſſide mauors.
Talibus affatur, diuumq;, hominũq; parentem.
Tempus adeſt genitor (quoniã fundamine magno 810
Res Romana valet, & præſide pendet ab vno)
Præmia iam promiſſa mihi, dignoq; nepoti
Soluere, & ablatum terris imponere cœlo.
Tu mihi concilio quondam præſente deorum,
(Nam memoro, memoriq; animo pia verba notaui,) 815
Vnus erit, quem tu tolles in ſydera cœli,
Dixiſti, rata ſit verborum ſumma tuorum.
Annuit omnipotens, & nubibus aera cæcis
Occuluit, tonitruq;, & fulgure terruit orbem.
Quæ ſibi promiſſæ ſenſit data ſigna rapinæ. 820
Innixusq; haſtæ preſſos temone cruento
Impauidus conſcendit equos Gradiuus, & ictu
Verberis increpuit, pronumq; per aera lapſus
Conſtitit in ſummo nemoroſi colle Palati.
Reddentemq; ſuo non regia iura Quiriti 825
Abſtulit Iliaden, corpus mortale per auras
Dilapſum tenues, vt lata plumbea funda
Miſſa ſolet medio glans intabeſcere cœlo.

Pulchra ſubit facies,& puluinaribus altis
830 Dignior eſt,qualis trabeati forma Quirini.
Flebat vt amiſſum coniux,cum regia Iuno
Irin ad Herſiliam deſcendere limite curuo
Imperat,& vacuæ ſua ſic mandata referre.
O & de latio,o & de gente Sabina
835 Præcipuum matrona decus,digniſſima tanti
Ante fuiſſe viri,coniux nunc eſſe Quirini.
Siſte tuos fletus,& ſi tibi cura videndi
Coniugis eſt,duce me lucum pete colle Quirini,
Qui viret,& templum Romani regis obumbrat.
840 Paret,& in terram pictos delapſa per artus,
Herſiliam iuſſis compellat vocibus Iris.
Illa verecundo vix tollens lumina vultu,
O dea(nanq; mihi,nec quæ ſis dicere promptũ eſt,
Et liquet eſſe deam)duc o,duc inquit,& offer
845 Coniugis ora mihi,quem ſi modo poſſe videre
Fata ſemel dederint,cœlum accepiſſe videbor.
Nec mora Romuleos cum virgine Thaumantæa
Ingreditur colles,ibi ſydus ab æthere lapſum
Decidit in terras,a cuius lumine flagrans
850 Herſiliæ crinis cum ſydere ceſſit in auras.
Hanc manibus notis Romanæ conditor vrbis
Excipit,& priſcum pariter cum corpore nomen
Mutat,orãq; vocat quæ nũc dea iũcta Quirino eſt.

P. OVI. NASO. METAMOR-
PHOSEON LIB. XV.